

Labienus muss in Abwesenheit Caesars gegen die Gallier kämpfen.

1. Prima luce et nostri omnes flumen erant transportati et hostium acies cernebatur. 2. Labienus milites cohortatus, ut suae pristinae virtutis et tot secundissimorum proeliorum memoriam retinerent atque ipsum Caesarem, cuius ductu  
5 saepe hostes superavissent, praesentem adesse existimarent, dat signum proelii. 3. Primo concursu ab dextro cornu, ubi septima legio constiterat, hostes pelluntur atque in fugam coniciuntur; ab sinistro, quem locum duodecima legio tenebat, cum primi ordines hostium  
10 transfixi pilis concidissent, tamen acerrime reliqui resistebant, nec dabat suspicionem fugae quisquam. 4. Ipse dux hostium Camulogenus suis aderat atque eos cohortabatur. 5. At incerto etiamnunc exitu victoriae, cum septimae legionis tribunis esset nuntiatum, quae in sinistro  
15 cornu gererentur, post tergum hostium legionem ostenderunt signaque intulerunt. 6. Ne eo quidem tempore quisquam loco cessit, sed circumventi omnes interfectique sunt. 7. Eandem fortunam tulit Camulogenus.  
8. At ii, qui praesidio contra castra Labieni erant relictii, cum  
20 proelium commissum audissent, subsidio suis ierunt collemque ceperunt neque nostrorum militum victorum impetum sustinere potuerunt. 9. Sic cum suis fugientibus permixti, praeter eos, quos silvae montesque texerunt, ab equitatu sunt interficti. 10. Hoc negotio confecto Labienus  
25 revertitur Agedincum<sup>1</sup>, ubi impedimenta totius exercitus relicta erant; 11. Inde cum omnibus copiis ad Caesarem pervenit.

---

<sup>1</sup> Agedincum, i. n. - Hauptstadt der Senones in Gallien.